



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1858

2208. Das Kloster Broda bekundet unter dem Siegel des Markgrafen
Albrecht die Stiftung eines Altares in Neubrandenburg, am 14. November
1287.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56621](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56621)

Item iuxta Zantoch fuerunt Lodowicus de Volmezten et quidam alij XXX marcis argenti spoliati ab hominibus marchionis, quas promisit marchio soluere, et non fecit.

Item recordemini de siligine, quam dominus Barnim accepit ciuibus Lubicensibus.

De Normannis, vt bona non vadant per Sund. De Dacis, qui de Norwagia adduxerunt in istas ciuitates aliqua bona, quomodo de eis esse debeat. De Bremensibus, vt de coassistendo dentur littere a ciuitatibus.

Vtrum nuncij in Daciam mittantur ad regem. Moneantur domini Slaue, quod nos adiuuent in necessitatibus, quas patimur a Normannis.

Vt littere mittantur in Rigam et in omnes illas remotas ciuitates super negotio Normannorum, et vt littere mittantur eciam versus West.

Moneri debet dominus Hinricus de Werle pro nostra parte pecunie nobis reddende, cum qua conduci debuerant domini Hartonis. Vt in dicto negotio Normannorum ciuitates Slaue faciant III partes expensarum, et quartam partem faciat ciuitas Lubicensis.

Aus dem Lübecker Urkundenbuch II, 49.

2208. Das Kloster Broda befindet unter dem Siegel des Markgrafen Albrecht die Stiftung eines Altars in Neubrandenburg, am 14. November 1287.

Waluanus, Deigratia Prepositus, Teo. Prior totumque capitulum ecclesie Brodenfis omnibus Christi fidelibus hanc literam inspectaris salutem in Domino Jesu Christo. Quoniam ea, que ex ordinatione mortalium procedunt, caduca sunt et minus firma et processu temporis vergunt in oblivionem, nisi scriptis et sigillis et proborum hominum testimonio fuerint confirmata, recognoscimus igitur et presentibus publice protestamur, quod nos Johanni, filio Herbordi, quondam civis Brandeburgensis, prefecto ejusdem civitatis, nec non et fratribus ipsius acceptis ab eisdem nonaginta talentis denariorum Brandenb. dimisimus octo talenta monete gravioris scilicet Stendaliensis proprietatis titulo perpetuo possidenda et eorum heredibus ab eis directa linea descendentibus et amicis, quos siquidem denarios plebanus ecclesie parochialis in Nova Brandenburg certis temporibus et diebus ad hoc specialiter ordinatis annis singulis presentabit sine contradictione aliqua et aliquibus impedimentis, quibus et altare, quod idem Johannes cum suis fratribus ad honorem omnipotentis Dei et virginis gloriose matris Dei et Domini nostri Jesu Christi et beati Nicolai de Nostra licentia et favore pro remedio et salute animarum suorum, patris videlicet atque matris, pro salute propria et uxoris sue, heredum et omnium amicorum suorum, tam vivorum quam

et mortuorum, humiliter et devote construi procuravit in ecclesia parochiali Brandenb., solempniter est dotatum, quod altare dictus Johannes jam contulit denariis cum predictis cuidam clerico sacerdote in divine utpote officio competenti, et conferet quoad vivit quocienscunque necesse fuerit porrigendum, quo defuncto ad fratres seu heredes ipsius transibit indefinenter altaris collatio supradicti, adjecto quod semper inter illos senior atque melior collationis beneficium obtinebit, omnis discordie pertinacia amputata. Verum si tota quod absit ipsorum progenies sive cognatio posteritatis tempore deleta fuerit penitus vel extincta, Prepositus ecclesie Brodenfis pro voluntate consulum civitatis Brandenburgensis et consensu sepedicti altaris beneficium conferet clerico sacerdoti, qui illud in officio cotidiano tunc sicut et nunc reverenter et decenter valeat procurare, ita tamen, quod in prejudicium vel gravamen plebani parochialis ecclesie dici vel nominari poterit, nichil unquam audeat attemptare, sed eidem in officiis karitatis semper erit benivulus et paratus. Si et ipsum contingeret oblationes aliquas fidelium vel proventus qualescunque recipere ad parochiam forsitan pertinentes, omnia sine murmure ad manus plebani pro tempore existentis reverenter sub pena suspensionis officii voluntarie presentabit. Sed si aliquis ipsum respicere fidelium dignaretur pro carorum suorum memoria defunctorum jure canonico non obstante elemosinam faciendo largiorem, hoc de licentia plebani recipiat et favore, et eundem in omnibus quibus potest si meruerit promovebit. Si vero idem sacerdos aliqua presumptione dictum altare in officio divino quibuscunque de causis personaliter noluerit officiare, ad quem pertinet collationis beneficium jam redibit, quia privilegium videtur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate. Ut autem hec omnia irrefragabiliter observentur, presentem paginam sigilli illustris principis domini Alberti, Marchionis Brandenburg. nec non sigillorum nostrorum appensionibus, nostri videlicet et capituli nostri, fecimus communiri. Testes et qui Presentibus interfuerunt vel interesse poterant, et quorum consilio hec que predicta sunt fideliter sunt ordinata, nominatim nichilominus dignum duximus adnotari, quorum nomina hec sunt Teo. Prior, H. dictus de Stargart, H. Scolentin, B. Tudeus et ceteri canonici et fratres ecclesie Brodenfis, dominus Jo. de Bukowe, Teo. de Vorstense, Jo. dictus Prenzlau, Jo. de Vilem, Ar. de Vorstemberge, clerici et sacerdotes, dominus H. de Polchowe pincerna domini Marchionis, H. de Wildenhagen, H. Manduvel advocatus, Fredericus Dargatz, Gunterus de Reberg, milites, Br. Molendinarius, Jo. Repin, Jo. Westval, Beteman de Dewiz, Wezel Zerdo, Ar. Zerdo, Hr. Crispus, scabini, Jo. Rotstoc, H. Slichting, Jo. Picht, Jo. Kolpin, Wlome, Ar. Beiseritz, H. de Ganzkowe, Luthardus Pistor, consules civitatis, quorum et sigillo pro majoris roboris firmitate usi sumus. Acta sunt hec in Nova Brandenburg, anno Domini MCCLXXXVII. feria sexta infra octavam sancti Martini.